

§. III. Resolvuntur Casus.

CASUS I. De Oblatione et Fructu Sacrificii Missae.

Hedwigis pia matrona quotidie pro filio suo nuper in duello occiso plura Sacra audit, et aliquot hebdomadis aliqua Sacra legi curat ex voto; postea experitur, Sacerdotem, cui stipendium pro Missis dederat, laborare fama; hinc multum angit, an voto satisficerit et an defunctus quidquam fructus ex Missis ab eo Sacerdote lectis perceperit.

408. Q. I. An Sacerdos impius, haereticus aut excommunicatus possit valide Missam celebrare? R. *Affirmative.* Ratio est, quia consecratio, et oblatio est actus Ordinis, non Jurisdictionis: ergo, sicut nec per peccatum, nec per censuram, nec per degradationem potest tolli character Ordinis, sed tantum Jurisdictionis; ita nec per illa potest tolli potestas consecrandi et offerendi. Plura vide supra n. 54. et 265. Unde resolves, quod Hedwigis satisficerit voto, et quod defunctus potuerit percipere fructum ex Sacrificiis, etsi fuerint oblata a Sacerdote impio. Hedwigis tamen peccasset, si antecedenter scivisset, Sacerdotem in statu peccati esse sacrificaturum, et tamen ab eo petiisset legi Sacrum; quia sic fuisse cooperata peccato alieno. Vide dicta n. 88. et Trid. sess. 23. C. 4.

409. Q. II. An Sacrum ab impio Sacerdote lectum minus habeat efficaciae, quam lectum a pio? R. Non habet minorem vim ex opere operato, sed tantum ex opere operantis. Ratio primi est: quia effectus Sacrificii tanquam ex opere operato proveniens est ab actione sacrificandi prout est actio Christi, tanquam principaliter offerentis, adeoque a quocumque offeratur, manet semper eadem actio, eademque hostia semper munda, et grata Deo. *Suar. hic D. 79. sect. 8.* Ratio secundi: quia effectus Sacrificii tanquam ex opere operantis proveniens dependet a Sacrificio, prout offertur a Sacerdote tanquam a persona privata, et suo, non Christi nomine orante, ut fieri solet in *Memento Vivorum*, et *Defunctorum*; ergo sicut preces amici plus habent valoris, quam inimici; ita talis oblatio a Sacerdote impio facta hoc sensu vim minorem habet, quam facta a digno et rite disposito. Ita Comm.

410. Q. III. An ii, qui specialiter cooperantur ad Missam, etiam dici possint offerre Sacrificium, et an fructum possint applicare alteri? R. Ad primum. Fideles, qui specialiter cooperantur ad Sacrificium Missae vel physice ut ministrantes, vel moraliter ut adstantes, aut pro Sacro stipendio dantes Sacerdoti, recte dicuntur offerre Sacrificium mediate, h. e. mediante Sacerdote offerente, ut patet ex verbis Missae: *Offerimus tibi etc. Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae etc. et omnium circumstantium ... pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt.* Dupli autem modo fideles possunt dici offerre: in primis generliter, prout omnes fideles sunt membra Ecclesiae, cujus ministerium et legatum publicum agit Sacerdos: hoc sensu *Innoc. III. l. 3. de Myster. Miss. C. 3.* ait: *Non solum offerunt Sacerdotes, sed etiam universi fideles: nam quod specialiter adimpletur ministerio Sacerdotis, hoc universaliter agitur voto fideli.* Deinde dicuntur specialiter offere illi fideles, qui modis praeditis cooperantur ad Sacrificium. Dixi supra, *quod adstantes etiam offerant,* intellige de iis, qui non tantum materialiter intersunt Sacro, sed moraliter, h. e. cum religiosa assistentia, attentione ac devotione; hi enim cum velint sua actione colere Deum, hoc ipso implicite cum Sacerdote volunt offerre Sacrificium ad cultum Dei, intenduntque finem et fructum Missae, quamvis de hoc expresse non cogitent. *Suar. hic D. 79. sect. 8., Laym. L. 5. T. 4. C. 2. n. 17. et 18.*

411. R. Ad Secundum. Ejusmodi cooperantes ad Sacrificium etiam possunt fructum applicare alteri. Ratio est: quia hoc Sacrificium de se est applicabile alteri ab offerente: ergo quicunque illud Deo offert, potest offerre pro altero. *Confirmatur ex quotidiana praxi fidelium.*

412. Q. IV. An valide et licite fuerint oblata Sacrificia pro occiso in duello? R. *Ad primum.* Valide fuerunt oblata, ita ut occisus, nisi in peccato gravi decesserit, factus fuerit particeps valoris principalioris ex meritis Christi, cuius personam gerit Sacerdos. Sic juxta communiorum apud *Laym. l. c. C. 2. n. 7.* valide offertur Missa etiam pro excommunicato vitando: quia ea, quae pure pendent ab institutione Christi, suntque immediatus actus Ordinis, non possunt ab Ecclesia impediri, quominus valide fiant; atqui valor Sacrificii pure pendent ab institutione Christi, et ejus applicatio est immediatus actus Ordinis: sic Ecclesia non potest unquam impedire, ne Sacerdos valide conficiat Sacramentum Eucharistiae, quamvis hoc illi prohibere possit: ergo nec potest impedire, ne Sacrificium nomine Christi valide offeratur, quamvis actu prohibeat, ne pro excommunicatis non toleratis offeratur. Ideoque Sacerdos peccaret graviter, qui directe offerret Sacrificium pro excommunicato vitando; quia ageret contra gravem prohibitionem Ecclesiae. *La Croix L. 6. p. 2. n. 32.*

413. Quid, si constet excommunicatum vitandum obiisse contritum? R. Nondum licet pro illo directe offerre Sacrum; quia licet sit contritus, non tamen est ab excommunicatione absolutus. Vide c. *a nobis.* de Sent. 28. Excomm. supra cit. Duxi, *non licet directe* etc. h. e. quatenus Sacerdos est minister Ecclesiae, ei non licet pro illo sacrificare, nec recitare Collectas, sive orationes illas, quae nomine Ecclesiae sub Sacro recitantur; *indirecte* autem potest Sacerdos pro tali offerre, quatenus offert pro peccatoribus, imo tamquam persona privata potest illius meminisse in *Memento.*

414. R. *Ad secundum cum Sporer T. 5. in quintum praecept. Decal. C. 2. n. 213. et Jansen. P. 2. cas. 93. n. 3.* Probabile est, quod licite offeratur Sacrum pro occiso in duello, modo non constet, eum in mortali obiisse; quia licet mortuus fuerit excommunicatus, non tamen fuit denunciatus tamquam vitandus, soli autem excommunicati denuntiati et non tolerati, aut notorii percussores Clericorum, et ut tales mortui, privantur suffragiis Ecclesiae et orationibus in Missa: ergo. Vide *Navar. et Dianam* P. 5. T. 4. Resol. 192. Confirmat hoc *La Croix L. 6. p. 2. n. 34.* cum pluribus contra *Sot., Avil., Suar., Vasq., Bonac., Azor* et alios, quod in *Extrav. Martini V.* in Conc. Const. *Ad evitanda*, concedatur communicatio cum excommunicatis toleratis etiam in sacris et divinis. *Nec obstat*, quod tales sint vere praecisi ab Ecclesia: propter hoc enim excommunicati non vitandi, quantum est de se, debent quidem abstinere a communicatione cum caeteris, et emanere e Missa, nec possunt petere Missas, vel suffragia communia; non tamen aliis ideo illicitum est cum illis agere, ut constat ex cit. *Extrav. Martini V.* neque Ecclesia ex parte sua est ab illis praecisa; ergo licite pro illis applicat Sacrificia. In praxi tamen solemnes Missae pro ejusmodi defunctis non solent offerri.

415. Pro reliquis de fructu et applicatione Sacrificii *observa* I. An, et quomodo Sacrificium Missae sit valoris infiniti, in Theologia Scholastica varie in utramque partem defenditur. Nobis pro praxi breviter sufficiat nosse, quod valor Missae consideratus secundum substantiam, et sufficientiam ex parte rei oblatae, ac principalis offerentis sit infinitus; sic enim idem est cum sacrificio crucis, sola offerendi ratione diversa: atqui sacrificium crucis valore ac pretio est infinitum: ergo etiam Sacrificium Missae; ideoque *juxta La Croix l. c. n. 47.* respectu duorum effectuum,

qui sunt Dei complacentia et solutio gratiarum, causat in actu secundo simpliciter infinite; quia Deus actu infinite sibi complacet in re oblatâ, et principali offerente, item in Missa pro gratiis redditur bonum actu infinitum. Si vero valor consideretur ex parte efficaciae et effectuum aliorum, qui sunt remissio peccatorum et impetratio donorum, item ex parte modi, quo applicatur, est finitus, causatque simpliciter finite. Alii brevius dicunt, valorem Missae esse infinitum in actu primo, finitum vero in actu secundo. *Ratio* alia non est, nisi suprema Dei voluntas: Christus enim aliter non ordinavit, nec Deus acceptat Missam, nisi ad remissiones et impetrations actu finitas; inde est, quod in Ecclesia multiplicentur sacrificia ad eamdem rem impetrandam, et plura plus obtineant, quam unum. Rationes, cur Deus ita voluerit, probabiles sunt: 1. ut hoc modo Sacrificium Missae frequentaretur, sine quo stare Religio non potest: 2. ut in nobis excitaretur fervor et studium, ac pro mensura nostrae devotionis majorem vel minorem fructum perciperemus. Ita *Tournely* T. 2. Praelect. Theol. de Sacrif. Mis. A. 6. Vide *Sporer* l. c. a n. 257.

416. II. Sacrificium Missae fructus, quos causat ex opere operato et vi actionis nomine Christi positae, etiam confert infallibiliter, nisi illius, pro quo offertur, indispositio et indignitas, vel negligentia obstet; quia Christus ad hos fines id instituit: ergo et Deus ad eosdem fines oblatum acceptabit. Ita *Pasqualigius* q. 77. Addit *Becanus*: Et hoc ipsum per traditionem cognovimus. Illud autem Sacrificium est fructuosius, quod devotius legitur vel auditur, sive sit de Sancto sive de feria, sive in summo sive in alio altari, sive in paramentis rubris (h. e. de Sancto Martyre) sive in albis legatur: nam eadem semper est hostia, quae offertur: ergo inaequalitas fructus tantum oritur ex inaequali dispositione illius, pro quo offertur. Per accidens etiam plus prodest Sacrum, quod legitur in altari privilegiato propter speciales indulgentias illi annexas. Missa *de Requiem* quoad fructum satisfactorium ex opere operato non plus prodest defuncto, quam alia; quia hic aequalis est per se loquendo in omni sacrificio: eatus tamen plus prodest, quatenus Ecclesia per preces pro defuncto institutas et per Sacerdotem recitandas specialiter orat pro defuncto, quod non fit in alia Missa. Eodem modo per accidens plus prodest Sacrum soleme quam privatum, quatenus illud celebratur majore cum attentione, devotione et ornatu, et plurium ministrorum assistentia, quae omnia redundant in majorem Dei cultum, adeoque in majus emolummentum fidelium.

417. III. Intentio applicantis debet ferri in personam determinatam, quamvis sit ignota: v. g. *Offero pro eo, qui dedit stipendium: vel pro quo vult Superior legi Sacrum: vel pro quo exigit fundatio: pro maximo peccatore; pro anima maxime desolata* etc. His vel similibus modis fit applicatio ad determinatam personam *implicite*, quatenus generali termino, particulari tamen intentione, sufficienter determinatur persona in particuli. *Expresse* fit ista determinatio, quando nominatim exprimitur persona: v. g. *Offero hoc Sacrum pro Petro vivo aut defuncto*. Sufficienter non determinatur persona hoc modo: *Offero hoc Sacrum, ut Deus ipse alicui applicet*; quia ex institutione Christi Sacerdotis est Sacrificium applicare et determinare. *Sporer* l. c. n. 279. cum *Tamb.*, *Vasq.* et *Pasqual*.

418. IV. Applicatio sub conditione praeterita vel praesente facta valet, v. g. *Offero pro Andrea, si mortuus sit, vel aegrotet; et contra non valet sub conditione futura; v. g. Offero pro Petro, si stipendium daturus sit, vel si hoc anno moriatur*. *Ratio* est, quia ut applicatio valeat, debet conditio esse impleta, quando datur fructus Sacrificii: atqui conditio futura tunc non est impleta, quando fructus existit, neque est in potestate Sacer-

dotis suspendere fructum Sacrificii, hic enim necessario confertur, dum actu offert: ergo. Porro etsi speculative defendant aliqui cum *Corduba*, *Vasq.*, et *Pasqual.*, valere hanc applicationem: *Offero pro eo, quem Deus scit primo daturum esse stipendium, vel primo moritum*; eoquod conditio non sit de objecto futuro, sed de scientia Dei actu existente; melius tamen id negant *Suar.*, *Coninck*; *Laym.* L. 5. t. 5. C. 2. n. 14.; quia scientia Visionis Dei dependet ab ejusmodi futuris contingentibus (ideo enim Deus scit a Petro oblatum iri stipendium, quia id libere oblatus est): ergo conditio vere est de futuro. Addit *Suar.* ideo vel maxime hujusmodi applicationem in praxi esse illicitam, quia est contra usum Ecclesiae, et magnos abusus parere potest, si introducatur. *Bassaeus*, V. Missa n. 4. ait, talem applicationem prohibitam esse a *Clem. VIII.*, cuius decretum postea promulgavit *Paulus V.* die 15. Nov. 1605.

419. V. Quando dubium est, an ille pro quo offertur Missa, sit capax fructus Sacrificii, facienda est intentio conditionata, v. g. *offerо hanc Missam pro hac anima*; si haec capax non sit, *offerо pro illa*: si neque haec capax sit, *volo ut proposit mihi: vel, offerо pro anima in purgatorio maxime derelicta aut liberationi proxima, aut Deo vel B. Virgini carissima*; ex supposito, quod sit Missa gratuita: si vero *Sacrum ex obligatione beneficij, vel stipendiij legatur*, facienda est intentio, ut si non proposit, pro quo petitur et offertur *Sacrum*, fructus cedat vel ipsi, qui petit legi *Sacrum*, aut ei proxime conjunctis, vel quibus is maxime obligatus est: quia prudenter prae sumitur, quod haec sit implicita intentio fundatorum. *Sporer*, *Merchant*. Trib. t. 2. q. 2. Dub. 2.

420. VI. Si Sacerdos Missam applicet alii, quam cui Superior jussit applicari, applicatio quidem manet valida, quia, ut dictum est, applicare et consecrare sunt actus ordinis; illicita tamen est applicatio, et peccat talis Sacerdos contra obedientiam, et quidem graviter, si vel Superior applicationem graviter praecipiat, vel eam justitia exigat. *Jansen*. loc. cit. num. 7.

421. VII. Si quis Missam ex errore pro aliquo tamquam mortuo applicet, qui tamen adhuc vivit, adhuc prodest applicatio secundum fructum vivo, vel mortuo applicabilem; quia Deus, ut prudenter prae sumitur, accep-tat Sacrificium, fructumque confert pro exigentia necessitatis, et voluntatem interpretativam ejus, qui offert vel curat *Sacrum*. *La Croix* l. c. n. 216. Si quis tamen ex errore alium putans mortuum celebraret Missas, quas pro eo vere defuncto teneretur legere, non satisficeret per hoc suae obligationi, sed teneretur postea, quando vere mortuum experitur, alias Missas pro eo celebrare. *Busemb*.

422. VIII. In Missa gratuita Sacerdoti licet fructum dividere, v. g. applicando fructum impetratorum Petro, satisfactorium Paulo, eucharisticum sibi; sic enim nemini fit injuria, illique fructus de se sunt divisibles. *Gobat* T. 3. n. 141. ibid. n. 144. pro praxi statuit hanc regulam: Quoties non incumbit tibi obligatio offerendi *Sacrum* ad aliquam certam intenditionem, toties potes separare fructus omnes, dividendo inter duos vel plures. Addit *Jansen*. l. 2. Cas. 93. n. 8.: Si tamen simpliciter alicui Missam etiam gratuitam promisisti, non limitando ad certum fructum, teneris ei omnes fructus, si capax sit, applicare, hoc enim intelligitur per promissionem absolutam; si vero ad certum finem tantum promiseris, v. g. in gratiarum actionem pro obtenta sanitate, poteris fructum impetratorum et satisfactorium tibi, vel alteri applicare. Idem observandum, si Superior jusserrit legi *Sacrum* ad certum tantum finem. E contra si obligaris ex stipendio vel fundatione, teneris totum fructum applicare danti, vel fundatori; si

capaces non sint, eorum consanguineis, aut quibus maxime obligati sunt; ut dictum est n. 419. Vide Sporer Theol. Sacram. P. 2. C. 4. a n. 292.

423. IX. In die Commemoratiois OO. Fidelium defunctorum pia consuetudo quidem habet, ut Missa applicetur omnibus animabus in purgatorio existentibus, id enim earum calamitas et nostra erga eas charitas postulat; gravis tamen obligatio non est dictae applicationis facienda. *Tamb. L. 3. Exp. sac. C. 3. §. 2.* Missa celebrata in altari privilegiato pro defunctis, non suffragatur illis, nec satisfit indulto, nisi sit de *Requiem*. Ita *Busemb. de Euch. dub. 2. ex Declar. Card. et Diana. Pontas vero V. Missa casu 38. ait, attendendum esse ad verba diplomatis Pontificii circa indulgentias affixas altari, quod propterea vocatur privilegiatum: scil. si expresse ibi fiat mentio Missae de *Requiem*, per aliam Missam non obtineri effectum; secus, si non fiat expressa mentio: *Indulgentiae enim tantum prospiciunt, prout verba sonant.**

424. X. Neo-Sacerdoti consecranti cum Episcopo non licet pro ea Missa accipere stipendium; applicatio enim est incerta, cum incertum sit an finiat cum Episcopo, et vere consecret. Si tamen offerens stipendium contentum se esse diceret quocunque demum fructu ex neo-Mystae applicatione sibi proventuro, posset admitti stipendium, quia sic volenti non fieret injuria. Indignum tamen videtur in praxi, ut neo-Mysta alteri in his circumstantiis cedat fructum, quem ipse sibi deberet applicare, ut eo dignior sit Sacerdotio. Applicatio Missarum, quas Episcopus neo-Presbyteris legendas injungit, juxta *Rubricas* est libera, excepta Missa pro defunctis. Ita *Jansen. l. c. n. 11. ubi addit, quod illae tres Missae injunctae ad summum obligent sub levi peccato. De hoc alibi.*

425. XI. Psalmi et preces in Missali ante Missam praescriptae non sunt sub gravi obligatione recitandae, cum ipsum Missale eas non nisi *pro opportunitate* Sacerdotis praescribat recitandas. Idem sentiendum de precibus post Sacrum ibid. expressis. Communem autem intentionis formulam (*Ego volo celebrare Missam etc.*) *Gregorius XIII.* ex eo maxime commendatam voluit, quod cuilibet Sacerdoti eam dicenti concesserit quinquaginta annorum indulgentias.

CASUS II. De stipendio Missae.

Hermannus ex pingui Beneficio se liberaliter sustentans, nihilominus admittit frequens stipendium pro Missa, saepe etiam duplicatum, dicens, se non tantum applicare partem speciale petenti, sed etiam specialissimam, quam alii Sacerdotes sibi solent reservare. Alias cum non posset satisfacere suis obligationibus, pauperi Sacerdoti praebet medium capitellum pro Sacro ad intentionem petentis legendo, alterum medium sibi reservans. Denique cum ex vertigine capitis sentiret se ineptum fore ad legenda ulterius Sacra, unicam eamque ultimam pro omnibus, a quibus accepérat stipendium, et quibus jurato promiserat, offert Missam: suae tamen obligationi plene satisfacturus plures simul consecrat hostias, unam earum huic, alteram alii applicans, juxta morem quorundam Sacerdotum graecorum.

426. Q. I. An Hermannus liberaliter ex Beneficio se sustentans licite admiserit stipendia pro Missa, ad quam non tenebatur alio titulo? R. Per se loquendo affirmative: quia Sacerdoti ministranti ex justitia debetur alimentum, per accidens autem est, quod Hermannus aliunde possit vitam suam honeste sustentare. Ita *Tournely* in *praelect. Theol. Tom. 1. de Euch. Q. ult. a. 12. ubi, postquam graves rationes dubitandi attulit, denique subdit: Sed opinio contraria, scil. nostra sententia praevaluit, quae non improbat, ejusmodi Sacerdotes stipendia percipere. Dixi, per se loquendo:*

quia propter scandalum, si quod ejusmodi Sacerdos dives in populo adverteret, potius deberet a frequentiore stipendi admissione abstinere. Item si hic esset finis primarius, cur Missam legat, ut pecuniam accipiat, non esset excusandus a peccato, quia esset formalis avaritiae species: confirmat hoc *Pontas ex opusc. 65. de officio Sacerdotis, quod tribuitur S. Thomae*, ubi ita habetur: *Non potest Sacerdos illa intentione, scil. unica et principali, celebrare vel officiare, ut ex hoc pecuniam consequatur, quia peccaret mortaliter.*

427. Q. II. An licite admiserit duplicatum stipendum propter applicationem fructus specialis et specialissimi? R. Negative: patet ex proposit. 8. ab *Alex. VII. damnata. Ratio* est, quia omnino incertum est, an possit fructus specialissimus alteri applicari: ergo debito ex justitia certo non potest satisfieri solutione incerta. *Viva* in cit. propos. *Duarte V. Missae stipendium n. 405. absolute respondet, hunc modum sapere injustitiam et simoniam, eo quod defraudetur conferens stipendum et accipiatur pretium pro re spirituali.*

428. Neque dicas 1. Licet pro eadem Missa accipere duplex stipendum, alterum pro praesentia sive officiatura, alterum pro applicatione sacrificii; ergo a pari. R. D. ant. Si offerens stipendium pro officiatura exprimat, quod contentus sit sola praesentia (v. g. ut talis locus specialiter honoretur), vel si id ex circumstantiis clare possit argui, licet accipere dicto modo duplex stipendum C. Si id non exprimat, nec aliunde clare colligatur N. ant. In nostro casu non potest praesumi, quod offerens sit contentus illo fructu specialissimo, simulque incertum est, an possit illi applicari.

429. Nec dicas 2. Potest accipi duplex stipendum, si Petrus petat solum impetratorum, Paulus vero solum fructum satisfactorium: ergo a pari. N. cons. Disp. est. Petrus et Paulus clare id petunt: ergo aliud non volunt, sed constat, eos unico fructu esse contentos; ergo etiam non fit ipsis injuria: si enim certo non constaret de hac expressa voluntate Petri et Pauli, etiam non liceret in dato casu accipere duplex stipendum, sicut in primo casu. Accedit, quod certius constet, hos fructus esse divisibles, quam quod fructus specialissimus alteri possit applicari: ergo. *Viva l. c.*

430. Ex his resolve, quod is, qui petit Missam ad obtainendam sanitatem aegroti, vel pro defunctis, non debeat tantum censeri velle unicum fructum sacrificii, ita ut alteri concedat alium fructum applicari, sed communiter pro stipendio dato implicite petit omnem fructum speciale, quem potest vi sacrificii obtainere. Ita *Duarte l. c. n. 407.*

431. At si stipendium ab uno acceptum sit tenué, nonne licet ab alio tantum accipere quantum sufficit ad justum stipendum, et unica Missa utrique satisfacere? R. Non licet: ita constat ex declaratione s. Congreg. ad decretum *Urbani VIII. super celebratione Missarum facta*. In decreto expresse praecipitur: *Ut ubi plura stipendia quamvis incongrua, et exigua collata fuerint, tot Missae celebrentur, quot ad rationem attributae eleemosynae praescriptae fuerint.* Postea s. Congreg. ad tertiam quaestionem: *An cum Ordinarius praescriperit eleemosynam congruum juxta qualitatem loci, personarum ac temporum, Sacerdotes accipientes stipendum minus congruum teneantur Missas illis ab offerente praescriptas celebrare?* respondeatur absolute: *Teneri. Ratio* est, quia Sacerdos primo admisit minus stipendium pro applicatione totius Sacri minus stipendium offerenti; ergo ex justitia tenetur stare pacto: imo licet non expresse promiserit, accipiendo tamen tale stipendum, hoc ipso tacite pro tota applicatione consensisse merito censemur. Praeterea ex contraria sententia multa incommoda

possent oriri; facile enim quisque sibi persuaderet, se ea premi paupertate, ut possit onera Missarum ad rationem stipendi congrui reducere, et passim Missae pro stipendiis incongruis promitterentur, praesertim hoc tempore in tanta Sacerdotum copia, qui pro modico stipendio celebrant, unoque renuente non deficiat alter. Ita Lugo D. 20. de Euch. S. 2., *Viva*, et alii passim post resol. s. Congr. contra Thom., Tambur., Laur. de Peyrinis, et alios.

432. Q. III. An Hermannus licite satisficerit per alium, collato illi minori stipendio, alia parte stipendi sibi reservata? R. Negative: patet 1. ex decreto Urbani VIII. mox citato, ubi ita habetur: *Ac similiter omne damnable lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem Missam alteri, parte eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat.* Patet 2. ex propos. 9. ab Alexand. VII. damnata.

433. At nonne licet accipere pinguius stipendum, idque in aliquo loco pro consuetudine congruum, et Missam curare celebrari in alio loco, ubi Missae leguntur pro minori stipendio? R. Negative, ut patet ex decreto Benedicti XIV. dato Romae 30. Junii 1741. de stipendio Missae. Decretum ita incipit: *Quanta cura adhibenda sit: ubi sub finem ita praecepit universis Patriarchis, Primitibus, Metropolitanis, Archiepiscopis et Episcopis: Per edictum in vestris Dioecesibus proponendum, affigendumque universis notum facite, quemcumque, qui eleemosynas seu stipendia majoris pretii pro Missis celebrandis, quemadmodum consuetudines vel synodalia statuta exigunt, colligens, Missas, retenta sibi parte earumdem eleemosynarum seu stipendorum acceptorum, sive ibidem sive alibi, ubi pro Missis celebrandis minora stipendia seu eleemosynae tribuuntur, celebrari fecerit, laicum quemcumque seu saecularem, praeter alias arbitrio vestro irrogandas poenas, excommunicationis poenam, Clericum vero sive quemcumque Sacerdotem, poenam suspensionis ipso facto incurrere, a quibus nullus per alium, quam per Nos Ipsos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, nisi in mortis articulo constitutus, absolvit possit.*

434. Q. IV. An in nullo casu liceat retinere partem sive excessum justi stipendi? R. Lucri gratia id nunquam licitum est. Excipit tamen Duarte l. c. n. 413. et seq. 1. *Si omnino sponte et ex mera liberalitate condonetur excessus justi stipendi ab eo, cui traditur Missa celebranda.* 2. Si certo constet justi stipendi excessum datum esse non intuitu Missae celebranda, sed intuitu personae, quia est amicus vel pauper; adde, si etiam prudenter censeatur offerens aequa contentus esse, si aliis Sacerdos legat Sacrum petitum. 3. *Ex Declarat. S. Congreg.* supra cit. ad dub. 7. possunt Administratores Ecclesiae pro paramentis, candelis, hostiis, vino etc. valorem expensarum ex eleemosynis pro Missis subtrahere, si Ecclesia non habeat aliunde redditus suffientes pro illis expensis; ita tamen ut nihilominus tot Missae celebrentur, quot constituae fuerint ab offerentibus stipendia. 4. Juxta *Declarat. S. Congreg.* cit. respons. ad 8. potest Beneficiarius, cui liberum est Missam per alium celebrare, alteri congruam eleemosynam tribuere (nisi in fundatione aliter cautum sit) et beneficii fructus sibi retinere. *Ratio* est, quia talis beneficiatus non accipit stipendum Missae singulare vel manuale, sed totam massam redditum, ut intentam a fundatore sustentationem; ergo fit dominus redditum cum obligatione fundatas Missas legendi per se, vel per alium.

435. Q. V. An et quomodo peccaverit Hermannus, offerendo unicum Sacrum pro iis, a quibus stipendum pro pluribus Sacrificiis acceperat, et quibus promiserat plura Sacra? R. ad primum: peccavit graviter contra

justitiam, ut patet ex decreto Urbani VIII. hucusque cit. ubi ita habetur: *Sacra Congregatio sub obtestatione Divini Judicij mandat ac praecepit, ut absolute tot Missae celebrentur, quot ad rationem attributae eleemosynae praescriptae fuerint, ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suaे obligationi non satisfaciant, quin imo graviter peccent et ad restitutionem teneantur:* atqui nullus tenetur ad restitutionem, nisi contra justitiam peccet: ergo. R. etiam ad Secundum: ratione promissionis peccavit contra fidelitatem; quia omnis promissio spontanea ab altero acceptata de re licita et possibili obligat in conscientia promittentem. Eodem modo peccat contra fidelitatem, imo simul contra religionem, si quis promittat promissione juramento firmata alicui danti stipendum, quod sacrificium pro ipso tantum sit oblatus, et illud idem pro alio offerat. Vide propos. 10. ab Alex. VII. damnatam. Dixi, *simul contra religionem:* virtus enim religionis exigit, ut vota et juramenta impleantur: ergo qui promissionem juramento firmatam non implet, peccat simul contra religionem: praeterea si tempore promissionis juratae animum implendi non habuerit, fuit etiam perjurus. Duarte l. c. n. 420.

436. Si dicas: Hermannus in unico Sacro plures tamen hostias consecravit, et pluribus applicavit; ergo videtur satisfecisse. R. N. cons. quia in uno eodemque Sacro licet plures simul consecrantur hostiae, unica tamen consecratione, et per modum unius consecrantur: ergo non nisi unicum fit sacrificium: atqui ex dictis non licet pluribus acceptis stipendiis per unam Missam satisfacere: ergo.

437. Porro resolves I. Qui unum tantum Sacrum offert pro Petro, cui liberaliter et jurato promiserat duo, peccat tantum venialiter; quia datum illud spirituale, quod patitur Petrus, est leve: gravitas enim vel levitas in tali casu desumitur a facilitate habendi ejusmodi bonum spirituale; atqui Sacrum, quo privatur Petrus, facile potest haberi erogando julium, capitellum, vel medium florenum, et levis res censemur, si promissum capitellum negetur; ergo. Ita *Viva* hic n. 5. cum *Sanch.* Nec ex eo grave peccatum est, quod jurato promiserit; probabilis enim est sententia, quod juramentum promissorium in materia levi non obliget graviter, dummodo tempore promissionis adfuerit animus implendi promissionem. Aliud foret, si quis ex voto debeat legere Sacrum; in hoc enim casu gravitas desumitur ex cultu, qui Deo exhibetur per Sacrum: ergo cum talis cultus sit materia gravis, etiam omissio Sacri ex voto debiti est grave peccatum. *Viva* l. c. cum *Tambur.* Juxta eosdem omittens Sacrum unum debitum ex justitia peccat graviter, quia alter graviter et quidem rationabiliter est invitus, quod Sacro privetur, quo indiget in gravi necessitate. Omissio tamen restitutionis stipendi accepti v. g. capitelli propter omissam Missam debitam ex justitia, regulariter censemur esse peccatum veniale ex parvitate materiae.

438. Quaeres: An etiam detur obligatio gravis restituendi ex omissione Missarum sponte ac mere liberaliter promissarum? R. Qui cum Cajetano et Sa docent, fidelitatem per se nunquam obligare graviter, eo quod nullus liberaliter promittens se graviter obligare velit ad promissum servandum, consequenter docent, nullam dari obligationem gravem restituendi ex omissione Missarum mere liberaliter promissarum. Communior tamen sententia est (ut ait Duarte l. c. num. 422.) quod ad obligationem gravem restituendi ex dicta omissione requiratur quantitas quadruplo major, ita ut si in materia justitiae quantitas gravis obligans ad restitucionem essent v. g. tres Missae, in materia fidelitatis requirantur duodecim.

439. II. De obligatione Parochorum applicandi Missas pro parochia-